



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Sancti Hieronymi Stridonensis, Sanctae Romanae Ecclesiae Presbyteri Cardinalis Epistolae In Tres Libros distributae**

**Hieronymus, Sophronius Eusebius**

**Coloniae Agrippinae, 1674**

IX. Ad Ruffinum. Multum in utramque partem.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-37862**

gum suorum ac principum laudes acceptâ mercede dicebant. Hoc ego nunc faciens, pretium posco pro laudibus. Et ne putes modica esse quæ deprecor, margaritum de Evangelio postularis. Eloquentia Domini, eloquia casta, argentum igne examinatum, probatum terræ, purgatum septuplum: scilicet et commentarios Fortunatiani, & propter notam persecutorum Aurelij Victoris historiam, simulque epistolas Novatianæ, ut dum schismatici hominis venena cognoscimus, libentius sancti martyris Cypriani bibamus antidotum. Misimus interim te tibi, id est, Paulo seni Paulum seniore, in quo propter simpliciores quosque multum in de jiciendo sermone laboravimus. Sed nescio quomodo, etiam si aqua plena sit, tamen eundem odorem lagenæ servat, quo dum rudis esset, imbuta est. Si hoc munusculum placuerit, habemus etiam alia condimenta, quæ cum plurimis orientalibus mercibus, ad te (si Spiritus sanctus afflaverit) navigabunt.

*IX. Hieronymus Rufino Aquileiensi, ut videtur, captans tanti viri amicitiam & familiaritatem.*

**M**ultum in utramque partem crebro fama mentitur, & tam de bonis mala, quam de malis bona, falso rumore concelebrat. Unde & ego gaudeo quidem super testimonio erga me sanctitatis tuæ, & amore sancti presbyteri Eusebii: nec dubito, quin me publicè prædisetis, sed tacitum vestræ prudentiæ iudicium pertimesco. Itaque obsecro, ut magis memineritis mei, & dignum vestrâ laude faciatis. Quod primus ad officium

*Matt. 13.*

*Psal. 11.*

*NOVATIANI.*

ficiam provocasti, & mihi secunda in rescribendo partes datae sunt, non venit de incuria in amicos, sed de ignorantia. Si enim scissem, praecurpassim sermonem tuum.

X. *Hieronymus Paulino Antiochena urbis Episcopo. Purgatoria est, quod non scribat exactius.*

**V**Oce me provocas ad scribendum, teres eloquentiam: & in epistolari stylo propè Tullium representas. Quod quereris, me parvas & incompras literulas mittere, non venit de incuria, sed de timore tui: ne verbosius ad te loquens, plura reprehendenda transmittam. Et navigandi tempore tanta à me simul epistolae flagitantur, ut sic cuncta ad singulos velim scribere, occurrere nequeam. Unde accidit, ut omisâ compositione verborum & scribentium sollicitudine, dictum quicquid in buccam venerit, & amicum te tantum meorum dictorum non iudicem, considerem. Et scis ipse, non benè fieri, quod occupato animo fiat. Pileolum texturâ breve, charitate latissimum, senili capiti confovendo, libenter accepi, & munere, & muneris auctore lætatus.

XI. *Hieronymus Desiderio, respondens amanter & humiliter, illum verò predicans & invitans in Bethlehem.*

**L**ecto sermone dignationis tuae, quem mihi nec opinanti tua benevolentia tribuit, gavius quidem suo testimonio honesti & eloquentis